DISPUTATIO

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA.

DISPUTATIO
INAUGURALIS
DE
RUBEOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS PUTNAM M'CABE,

Hibernus,

*SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ EDINENSIS
SOCIUS EXTRAORDINARIUS.*

Die viii. ante Kal. Julias, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

MDCCCXII.



HUGONI DOMINO SEMPILL,

BARONI SEMPILL,

QUI

ATAVIS DIGNUS,

OTIUM

ÆTATIS HONORI CORRUPTÆ

PRÆTULERIT,

HANC DISSERTATIONEM

SUMMA CUM OBSERVANTIA

DEDICAT

THOMAS PUTNAM M'CABE.

JOANNI MURRAY,

ARMIGERO,

ET REM CHEMICAM ET MATERIAM MEDICAM,

STUDENTES FELICIORES

DOCENTI,

ET

JACOBO SANDERS, M. D.

MEDICINÆ

HAC QUOQUE IN URBE

PRÆLECTORI;

HUNC LIBELLUM,

AB UTROQUE INSTITUTUS,

DEDICAT

AUCTOR.

DE

RUBEOLA.

RUBEOLAM antiquitus cognitam quidam contenderunt; sed in hac, ut in aliis rebus, multo facilius est verba facere, quam vera monstrare. RHAZES, medicus seculi noni, Arabs, primus, quantum scimus, hunc morbum accurate descripsit, unde Arabia ortus creditur.

Fere quotannis epidemice grassatur; a mense Januario incipit, ad aequinoctium vernale us-

que augetur, paulatim minuitur, et media aestate omnino tollitur; nihilominus hic morbus omni tempestate apparuit.

Infantes huic morbo procliviores sunt, tamen nulli aetati parcit, neque sexui; semel autem perpessus, postea immunis vivit; at alio pacto non foetus in utero excipitur. Rubeola quam variola pregnantibus minus periculosa est; verum strumosi, et sanguine pleni, et quacunque causa debiles, morbum metuant.

Doctor CULLEN ita rubeolam definivit:—
" Synocha contagiosa cum sternutatione, epi-
" phora, et tussi sicca, rauca.—Quarto die,
" vel paulo serius, erumpunt papulae exiguae,
" confertae, vix eminentes, et post tres dies
" in squamulas furfuraceas minimas abeun-
" tes." Et in duas species divisit:

1. " Rubeola vulgaris, papulis minimis,

"confluentibus, corymbosis, vix eminenti-
"bus."

II. "Rubeola variolodes, papulis discretis "eminentibus."

Verum hanc speciem jure rubeolae referendam non credere videtur, quoniam non solum inter se forma eruptionis, sed signis differant.

Wilson rubeolam in duas species diduxit, Regularem nempe, quae est vulgaris auctorum, et Abnormem, quae varietates omnes de cursu solito flectentes complectitur.

In hoc themate sum rubeolam, ut modo cum febre synocha, modo cum typho, consideraturus, quam quippe divisionem curatio, ni fallor, docuerit; cum autem casus rubeolae cum synocha minime semper eandem formam sibi induant, hanc speciem in duas varietates divisi :

I. Rubeolam regularem.

II. Rubeolam irregularem.

Primum de Rubeola Regulari et ejusdem varietatibus, deinde de Irregulari, et denique de Rubeola cum typho, dicam.

DE RUBEOLA REGULARI.

Morbi, quorum in cursu eruptiones hujusmodi appareant, quasdam mutationes peragunt, et inde stadia habemus fere certa, tria; primum, febris; secundum, eruptionis; tertium, desquamationis; quorum cujusque indicia ordine deinceps proponendum, quibus adjicere rectum videtur, quid interdum malorum rubeola inducere possit.

1. *Stadium febris.*—Morbus hic incipit per notas pyrexiae solitas; neque ante secundum vel tertium diem, febris esse rubeolae distinguitur. Adsunt rigor, horror, anxietas, pulsus debiles; quae subsequuntur calor magnus, vultus ruber, sitis arida, dolor capitis,

spiritus citati, interdum suspiria; nausea saepe vel vomitus, pulsus crebri et duri, lingua fere albescit humida. Dolent et dorsum et lumbi; neque non timendum est seu coma, seu convulsiones, quamvis hae saepius variolam futuram indicent: sub vespere signa aggravantur omnia.

Secundo febris die, tussis sicca accedit, etsi haud raro ab morbi initio adfuerit, cum raucedine, et gravitate tum capitis quum oculorum. Quod ad tussim, saepe violentior et obstinatior quam in variola aut scarlatina est. HEBERDEN tussim rubeolae epidemicae anni 1753, saepe dies septem aut plures antecessisse eruptioni dicit. Tussi superveniente inflammantur fauces; secretio salivae augetur; angitur pectus, concoctio prava. Interea palpebrae rubescunt; oculi sunt lachrymis suffusi, et lucem non tolerant; inflammatio quoque membranam nasi occupat, unde destillat humor quidam acer, qui sternutamenta crebra

movet; aliquando epistaxis multum levaminis adfert.

Tertio die, febre augente, calidior et siccior cutis fit; nausea et vomitus nunc vel primum accedunt, vel si antea, nunc graviores delirio addito fiunt, et vomitus et dejectiones biliosae; diarrhoea plerumque mala ventriculi tollit. Inquietus admodum aeger vix dormit; interea sudor mitis haud raro profuit. Donec eruptio appareat, febris increscit, et "quo "graviora fuerint signa antecedentia, et quo "diutius manserint, eo pejor fuit morbus *."

2. *Stadium eruptionis.*—Tertio die sub finem, vel quarto ineunte, eruptio rubeolae hujus efflorescit; primo vultum quam minimis maculis rubris discretis occupat; postea ubique magnitudine augentur, et sine forma propria coalescunt; maculae singulae aegre oculis, sed digitis tamen facile, detegi possunt. Deinde

* HEBERDEN.

paulatim eruptio collum, pectus, truncum, et extrema corporis pervadit, et haec quidem fere post primum diem, quo vultum; neque ori interno parcit. Eruptio vultus nunc ruberrima, tertio die quodammodo fusca fit, quinto vel sexto abitura; etiamsi vestigia ejusdem adhuc quatuor vel quinque dies remaneant, et fere cuticula decidente, desquamatione scilicet vocata, terminatur.

Propria hujus stadii.—Maculis erumpentibus non mitigatur febris ut in variola, interdum etiam aggravatur, et ita perstat, donec desquamatio fiat. Nunc tussis saevior; difficilior spiritus; raro nunc vomit aeger, et secundum BURSERIUM, calor corporis minuitur, lumbi minus dolent, et spasmi minus torquent.

Vultus turgescit, sed vix tumet ut in variola, quod cum eruptione decedit. Palpebrae tamen tumidae oculos occluserunt.

3. *Stadium desquamationis.*—Cuticula nunc ubique rupta, vultus videtur quasi polline quodam sparsus; deinde paulatim eadem mutatio in reliquis partibus corporis peragi observatur.

Eruptione abeunte, dummodo benignus fuerit casus, febris plurimum minuitur; et haud multo post, sive sudore, sive urina copiosa, sive diarrhoea, sive alia evacuatione simili, terminatur. Tussis postea et dyspnoea intra paucos dies gradatim summoventur.

Quaedam de morbo notanda.—Verum aliis in casibus, aliae sequelae sunt, quae rubeola ipsa majori sunt metui: "hoc peculiare habent "morbilli," dixit VAN SWIETEN, "quod illis "evanescentibus debito quamvis morbi tem- "pore, febris increscat, tussis augeatur, et spi- "randi difficultas, imo et saepe peripneumo- "nia sequatur." Per rubeolae cursum inflammatio imminet; et quae partes catarrho,

eaedem inflammationi maxime obnoxiae sunt, nasus nempe internus, fauces, pulmo.

Inflammatio ullo morbi tempore pulmonem afficere potest, sed maxime, ut fertur, post desquamationem timenda est. SYDENHAMIUS calidum regimen huic malo opportunum reddere posse contendit. In hac rubeola inflammatio oculorum, nasi, faucium, vix unquam nocitura est: nunc, ne evacuationes nimis copiosae sint, cavendum.

Rediit aliquando coma post desquamationem, Doctor HEBERDEN nos certiores fecit de quodam casu, ubi hoc lethaliter accidit.

Cum et habitus corporis et curatio sint bona, rubeola, ut voluit SYDENHAMIUS, periculo vitae non est; quod tamen dici potest tantum de casibus illis, in quibus febris maculis erumpentibus mitigatur, et in quibus desquamatio neque tussim neque dyspnoeam relinquit.

De quibusdam rubeolae regularis varietatibus.—Caeterum quaedam varietates hujus morbi observantur, mites et benignae, de quibus hic pauca referre haud alienum videtur.

Rubeola epidemica anno 1674, a SYDENHAMIO descripta, his varietatibus plane referenda est; nam in ea, eruptio modo sera, modo matura, primum humeros vel alias trunci partes occupavit, sine desquamatione exitura; cui praeterea pneumonia saepius supervenit. HEBERDEN de casu quodam mentionem fecit, in quo brachia eruptione omni carerent.

Olim in urbe *New York* dicta, dum rubèola epidemica fuisset, hic morbus saepe spurius erat, vel corpora morbo opportuna relinquebat. Quam rem quoque observavit WILLAN, qui dicit, rubeolam sine catarrho formam morbi mitem esse videri, quae minime opportunitatem morbi summoveat. Duo ex liberis suis in rubeolam hujusmodi iterum incidere, et postea alios casus invenit, in quibus eruptio

sine et febre et catarrho abiit, et de novo cum cohorte solita malorum rediit.

His varietatibus, quasi vinculo, rubeola regularis et irregularis inter sese connectuntur; et quo plus ab regulari discedit, eo pejor morbus.

DE RUBEOLA IRREGULARI.

Haec rubeolae forma periculosior et fortunate haud ita frequens, iisdem tempestatibus ac regularis, apparet, nisi forte sæpius in autumno.

In signis referendis maxime Mortonem, Burserium, Huxham et Willan sequar: omnia tamen, quae de ea dixerint, hic repetere supervacaneum esset; itaque praecipua, ut res admonet, quam brevissime expediam.

Plerumque febris quam in regulari violentior et citius completa: ab ipso initio saepe, vel etiam ante febrem inceptam, affectione

oculorum et tussi laborat aeger, sed secundo febris die omnia saeviunt.

Pulsus arteriarum minus duri, at multo citatiores; dyspnoea quaedam adest; tussis fere sicca, sin mucus expuatur, levamini est. Tumescunt et palpebrae et orbes oculorum: illae inflammatione cohaerent, vel hi tumentes quodammodo protruduntur; saepe interea meatus auditorii dolent.

Inquietus admodum nunc aeger est; cutis arida, sitis multa, praecordia anguntur: graviter dolet caput deliranti; lingua alba et sordida, et saepe fauces morbidae deglutitionem vel impediunt vel omnino prohibent.

Tempus, quo eruptio incipiat, multum variat; alias, secundo febris die; alias, tertio; alias, quarto; imo, non ante diem sextum, apparuit. Variat quoque et loco et colore; in collo, in pectore, vel qualibet alia parte, primum sese ostendat, et alias alio colore est.

Quo longius primum stadium, eo longius secundum. Si maculae secundo febris die apparuerint, fere quarto eruptionis die, etsi interdum non ante sextum decedunt. BURSERIUS opinatur, incitationem minorem quam in regulari, cum stadium eruptionis longius sit. Eruptione incepta minime remittitur febris, contra pejora omnia.

Nausea et vomitus gravius urgent; affectio faucium vel gutturis, delirium, et coma si prius accessisset; tussis, anxietas, dyspnoea; pulsus et debiliores et frequentiores; majori sunt tum discrimini, quum timori.

Decedente eruptione, febris mitigatur; adhuc tamen res minime in vado est. Metuuntur non solum hydropes, ulcera oculorum, cum tussi et dyspnoea longa, sed etiam inflammationes dirae, quae neque cerebro, nec pulmoni, nec visceri ulli parcant. Diarrhoea nunc saepe multum infirmat, et abscessus struma labefactos infestant.

DE RUBEOLA CUM TYPHO.

Haec species rarissima, et longe periculosissima est. Optime scriptum est de illa a Doctore Watson in volumine quarto operis *Medical Observations and Enquiries* nominati.

Hic signa omnia *typhoidea* sunt: ab initio oculi rubri et aquosi; tussis et debilitas maxima invadunt.

Secundo febris die graviora sunt signa; accedunt torpor et capitis dolor; quo die etiam maculae erumpunt, fere intra diem quartum vel quintum decessurae: interea fauces non rubrae sed potius fuscae sunt, ut in cynan-

che maligna ; saepe maculis summotis, febris minus violenta minime salutem promittit; mala pectoris perstant; micant debilissime arteriae; nunc alvus maxime soluta et delirium mortem praenunciant.

Porro, cum vita non perdita sit, minime, ut supra dictum, incolumes evadunt multi hunc morbum perpessi ; et illa rubeola cum typho maxime nocet, quam profecto variola subsecuta plerumque pessima est.

QUAE SECTIO ANATOMICA OSTENDIT.

Rubeolam et pulmoni, et iis quae abdomini insunt, plurimum obesse, docuerunt corpora hoc morbo interemptorum secta.

Saepe eruptio et tracheam et ejus ramulos pervadit, ut in variola; annon quidem ante, fauces membranas mucosas malo obnoxias satis monstraverunt?

Saepe pneumonia pulmonem devastat, ante mortem, quicquid efficere potest inflammatio mali, subiturum.

Secundum Doctorem Watson, rubeola praesertim *typhoidea* viscus quodlibet internum, et partes corporis alias, vel gangraena vel sphacelo afficit.

CAUSAE.

Rubeola inter morbos est, quos contagio quaedam specifica concitat. Ut in aliis hujusmodi, contagione applicata non protinus oritur morbus : citior tamen variola est; fere enim inter sextum et octavum diem post venenum in corpus introductum, febris prorumpit; etsi secundum Heberden, etiam ad diem decimum quartum vel decimum quintum dilata fuerit. Dum in corpore agit vis rubeolae contagiosa, non procedere potest variola.

Inoculatio variolae felix, multos, ut rubeola simili modo communicaretur, sperare induxit; et Professor Home senior primus ad

hanc rem explorandam experimenta apta instituit, quae, ut haec inoculatio humano quoque generi prodesset, docere videbantur; et cur rem utilissimam postea medici neglexissent, certe nescio.

DE QUIBUS RUBEOLA DISTINGUITUR NOTIS.

Febris quaelibet cum catarrho stadium rubeolae primum imitatur; eruptio scarlatinae, secundum: sed hae res eum vix fallere possunt, qui historiam morbi edidiscerit.

Verum scarlatinam inter et rubeolam distinguere et utilissimum et difficillimum videtur. Fere tumor et rubor palpebrarum, humiditas oculorum, tussis scarlatinae desunt. Eruptio scarlatinae secundo die et vultum et brachia occupat; sed rubeolae vix ante tertium diem, mentum et pectus; et quarto vel quinto brachia et manus. Eruptio scarlatinae incipit per ruborem vividum ubique pene aequaliter corporis diffusum, gradatim in maculas plurimas sepa-

randum. Eruptio rubeolae incipit per maculas raras, vix rubras, quae et numero et rubore augentur, et tactu elevatae comperiuntur. In scarlatina glandulae colli plus tument; in rubeola membrana mucosa vividius rubet: in illa erysipelas malum saepe os internum infestat; in hac rarissimum: in illa, etsi cutis externa rubore, fauces aliquando nigritie quadam afficiuntur; sed in hac quis quid simile vidit? Scarlatina hydropes etiam totius corporis; rubeola pulmonum mala maxime vel potius saepissime inducit.

QUAE SIVE SPEM SIVE METUM OSTENDUNT.

In hoc, ut in plerisque morbis, quo mitior affectio, eo minus adest periculi: igitur, quae supra scripsimus, indicia eventus sive mali sive boni ex necesse docuerunt; paucis tamen repetitis fortasse, ut consuetudo suadet, usus erit.

Saepissime timenda est rubeola et irregularis et cum typho; sin unquam desquamatio non levet, ad triarios ventum est, si his verbis uti liceat. Diarrhoea mitis, expectoratio facilis, cutis humida, eruptio rite perstans, desquamatio sine febre, appetitus ciborum rediens, sunt omnia bona: sed febris ardens, pulsus citati et duri, eruptio nigricans, vel albicans, vel subito effugiens; post eruptionem

diarrhoea obstinata, vomitus, dolor capitis et oculorum magnus, infirmitas maxima, pulsus debilissimi, inaequales, intermittentes ; petechiae, vibices, et notae putredinis pares, mala sunt : siquidem res in pejus ruat, de aegro miserrimo actum erit.

CURATIO.

VENIO ad curationem, de qua in omni stadio multae controversiae sunt. Disputare, et de nugis contendere, ut videtur, medicorum est: sed adolescentis ad lites eas dirimendas conari non est. Itaque quod quisque pro se dixerit, quam brevissime exponam; et quaeque optima mihimet ipse, si potero, seligam, nam inter eclecticos haberi, et nihil amplius valde cupio; et haec semper sit mihi ambitio sola.

In hoc morbo omnibus remediis solitis usus est; sed quae in quoque stadio, prout res variat, praescriberentur, bene intelligere, hic labor, hoc opus.

DE RUBEOLAE REGULARIS CURATIONE.

STADIUM PRIMUM.—Hic, quae alvum movent, prosunt, et quae vomitum quoque semel aut bis fortasse, si nausea urget: multo saepe est levamini sudor mitis: quaecunque irritent, evitanda: caloris nimium aut frigoris nocet; ille febrem auget, hoc fauces et pulmo non tolerant: gargarismi ex quovis acido levant. Si signa pulmonis aut cerebri sanguine turgidi accedant, sanguis multus mittatur, et exulceratio adhibeatur, oportet: per totam febrem lavatio tepida vel calida utilissima est.

Stadium secundum.—Adhuc in iisdem remediis utendis perseveremus, nisi hic vomitus

vix unquam utilis fuerit: oculi sint nobis curae: solutiones frigidae mites utiles sunt. Inflammationes omnes activae nunc minitantur; et omnia, quae ad has arcendas vel summovendas valeant, strenue praescribantur. Cum res ita se habeant, metus evacuationum sive sanguinis, sive cujuslibet alius generis, valde perniciosus est. Quidam dicunt sanguinem mittere nil est, nisi vires aegri perdere; quod sane non verum est, cum sanguis violenter stimulando exhauriat, et aegrum in infirmitatem summam rapiat; nunc contra sanguine misso febris minuitur, et aeger conservatur; quod nuper multi casus rubeolae hujus urbis satis superque probaverunt.

Stadium tertium.—Desquamatione incepta, si febris minuatur, cibus ex media materia permittatur; si debilis et pallidus aeger sit, paulum vini; si noctu irritatus male dormiat, opiata; si os ulcera infestent, boras sodae adhibeatur, et mel quoque gratum. Balneum

calidum, et per mantilia frictio corpus reficit, et somnum inducit.

Si quidem nulla signa mala remaneant, salus sponte quasi redit, dummodo, quae noceant, absint: sin autem sive caput, sive pectus, sive abdomen laboret, de ratione medendi in hoc statu alii aliter opinantur. Multis inflammationes formidini sunt; sanguinis missionem, et hordeacea tantum laudant. Alii hanc rationem incusant; sanguinem mittere lethale affirmant: cur, dicunt, inflammationes activae metuuntur, cum, febre praecedente, opportunitas inflammationis ipsa summota imo exhausta fuerit? Potius metuendum regimen infirmans, quod maxime infirmato semper nocuit; quo vero tempore aegri hydrope et inflammatione passiva periclitantur. Finem ponere disputationi nequeo: plane errant tamen, qui sanguinis missionem omni in rubeolae stadio prohibeant; quo facto opus est, quaero, cum notae phreniticae terreant, cum pneumonicae,—hic quis sanus, quid faceret, dubitaret?

DE RUBEOLAE IRREGULARIS CURATIONE.

In rubeola irregulari, quid perpetuum sit non proferre possumus; medico pro re nata judicandum et praecipiendum est; alias longus est morbus, et aeger infirmus; alias morbus brevis et mitis; alias in eodem homine variat; itaque verbis hic pluribus non opus est.

DE RUBEOLAE CUM TYPHO CURATIONE.

Haec est species maxime timenda, et ne vires aegri perdantur, summae sit curae; omnia in putredinem properant; quaecunque roborant et sustinent, valde prosunt; "nullo "tempore is, qui deficit, non sit sustinendus." Hic quidem sanguinem mittere perniciosum est; et exempla hujusmodi sunt, ni fallor, in quibus sanguinis missio nocuerit. "Ne-"que, hercule, satis est ipsas tantum febres "medicum intueri, sed etiam totius corporis "habitum, et ad eum dirigere curationem, seu "supersunt vires, seu desunt, seu quidam "alii affectus interveniunt *."

* Celsi, l. iii, c. 5.

FINIS.